



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt XIII. Præstantium doctrinâ & pietate virorum corona quædam obiter
monstrata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

Collat. 10.
c. 11.

Ambarum
colligata so-
cietas.
Valer. Max.
lib. 2. c. 1.

Adi Paulum
Lang. Chr.
Citizen. ad
an. 968.

ripit; atque ita sapere ac sentire condocet, ut quod præclare apud Cassianum Abbas Isaac obseruauit, *omnes [Scripturarum] Psalmorum & Prophetarum affectus in se recipiens, sententias eorum non tantummodo per Prophetam, aut in Prophetâ fuisse completas, sed in se quotidie geri impleri que cognoscat*; admirabili, scilicet supernè, docentem inter & discentem reciprocante commercio. Quas Athenas, aiebat ille, quam scholam, quæ alienigena studia huic disciplinæ prætulim? Inde oriebantur Maggentij, Strabi, Luitberti, Haimones, Freculphi, ac ne plura monasterij huius lumina ante tempus ingeram, inde, inquam, Germaniæ clarissima pars, tot in Moguntiacensi cathedrarum primâ, nobiles fulserunt Archiepiscopi.

CAPVT XIII.

Præstantium doctrinâ & pietate virorum corona quadam obiter monstrata.

Prosapia est
stemma vir-
tutis doctri-
nâ, antestat
liberorû pro-
pagationi.

Hieron. ad
Celsantiam.
Ambros. cit.
cap. 4.
Stirpis huius
fecunditas.

Cap. 44.

PRÆCLARE S. Ambrosius de Noë & arcâ scribens, *proba-
ti viri genus*, dixit *virtutis esse prosapiam*: ut, qui stirpem
corporum coniunctione propagatam huic, quam propria con-
stansque virtus progigneret, meritò postferret. Quippe virtutis
ad nepotes transmissæ *vna secura & inuiolabilis est possessio*, quæ
neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum
nec temporum permutatione mutatur, *quâ præditi qui sunt,
apud Christianos verè sunt nobiles*, possidentque res & fructuosas
& sempiternas. Quo eorum & genus & speciosæ stirpis imagi-
nes magis suspiciendæ sunt, qui ut Ecclesiæ liberos præstantes
gignerent, horumque stirpem immortalitate donarent, vno
virtutum partu procreationem suam absoluerunt; eamque si-
militudinem iis diuinæ mentis impresserunt, ut Dei crederes
potius, quàm hominum fatu genitos, & diuino quodam partu
in lucem effusos. Atque huius prosapiæ titulos luculento ser-
mone Ecclesiasticus adumbravit; *viros eos testificatus gloriosos,
quorum cum semine vsque perseuerent bona, quorum & sancta sit
hereditas nepotes eorum, quorum denique liberi propter ipsos sempi-
ternam æuam immortali cum gloriâ degant.* Atque, ut Cosinum
Theo-

Theologum in Syriâ Ioannis Damasceni magistrum, sine liberis quos ei philosophia pareret, mori noluisse laudatum est; sic ego Magnum Cassiodorum memini, postquam cum Agapito Pontifice de studiis diuinis Romæ inter Barbaros excitandis egisset, angustissimè grauissimo dolore, quòd Scripturis diuinis publici magistri deessent. Primùm igitur nobis insulæ Britannia, post Deum humanæ salutis prouidum curatorem, laudes gratèque dicendæ; quæ radiantibus sapientiæ & virtutis luminibus, in opaca hæc intimæ Germaniæ nemora infusis, quidquid hîc inertia & barbari stuporis extitit, absterfit, illustrauit, & ad capeffendam ex litterarum tam humanarum quàm diuinarum studiis egregiam laudem, accendit. Sed immortale præconium ipse meritis utique S. Bonifacius, qui omnium pietatis & amplificandæ religionis artium, pater, inuentor, & Sturmionis educator, Scripturarum sanctarum eloquia, ut feliciter in Germaniâ exercuit, ita cælesti quodam munere apud discipulos inde fouenda reliquit. Bedæ, post sacram Scripturam solertis ingenij fecunditate, tot commentationum voluminibus editis, ex longinquo fama iam olim latè percrebuerat, S. Bonifacio dum uiueret, non ingrata, ut multiplices in eodoctrinæ fructus suis haud obscurè approbaret. Quæ igitur ex huius disciplinâ vel condiscipulatu, accersendi abusque Britannia magistri cura Fuldensem congregationem sollicitabat, hanc ut potuit, primitus explicuit.

ALCVINVS is erat, multo acumine perspicacis ingenij, nec ineruditâ facundiâ, Albinus Flacci nomine, & Caroli Magni institutione notus; quin & huius imperio, Parisiæ urbis in gremio, altrice tot artium atq. disciplinarum erectâ scholâ, futurus illustrior. Hic, Bedâ iam vitâ functo, postquam peragrata Gallia tribus sociis monachis in Austrasiam venit, inde Buchoniam petens, & aliquamdiu Fuldense monasterium, sed leuiter incolens, reconditas sacræ doctrinæ gazas magnâ nominis sui & auditorum celebritate reclusit, & æmulos suæ doctrinæ discipulos vigilantis ingenij, primùm Turonas euocauit, mox incomparabilis scientiæ laudibus cumulos, hîc post se magistros reliquit. In quibus familiam duxere Haimo, *Ysuardus, Freculphus, Hrabanus, Hatto, Luitbertus; quorum accu-

*Cosmus Theologus.**Cassiodorus Senator.**Anglia quid Fulda debeat.**Quid S. Bonifacio opt. patrono, parrenti, quid**Bedæ venerabilis inuētis. Catal. eccles. Script.**Sigebert au- & Suffrido & Triih. lib. 2. de illustr. uis Ordin. S. Ben. c. 26. & alibi. MS.**Tom. 1. & 5. antiq. Lect. V. C. Henr. Canif. & Nicol Serar lib. 4. rerū Moguntiac. in Rhaban. & illustr. Baro- nius ad an. 778. Tom. 9.**Alcuinus Fulda docet, & discipulos in Gallia ex- politos, Ful- densi mona- stero magi- stros remit- tit.***Ysuardus, Ysuardus,*

Arnoldus
Wion. de il-
lustr. vir. Or-
din. S. Bene-
dicti.

* Haimo
apud Hono-
riū de ecclef.
Script. Sig-
bert. c. 136.
vet. Haimo,
& Hemmo.
lib. 2. de vir.
illust. c. 32.
& 124.
Halbersta-
diensis Epi-
scopus.

Lib. de uni-
uerso.

Haimo an
Abbas Hir-
feldia existi-
t?

M. S. Chron.

* Vsvardus
Martyrolo-
gij auctor. al.
Husvardus.
De ecclef.
Scriptor. Si-
geb. c. 85.
Pap. Mas. de
illo in Caro-
lo Caluo.
Trithem. cit.
c. 29. & alibi.
Molan. ad
Martyrolog.
* Al. Frecul-
fus, De scri-
ptor. ecclef.
Sigebert. c. 91

rariùs virtutes propriis insignitas elogiis spectandas exhiberem, ni tantorum ingeniorum dotes rarâ styli & lucubrationum varietate Spanheimensis Abbas & recentiores alij occupassent. Quod inde strictim carpemus, subsidio vanescentis memoriæ, id hac iudicij trutinâ ponderandum erit, vt quæ rudis nec perpolitum sæculi ingenia tunc in admiratione fuerunt, ea hodie tamquam expergefactis omnium artium censoribus, moderatioris supercilio iudicis submittamus, temperato non imminuto honoris pretio.

* HAIMO itaque, cuius & magisterium & religionis natalem immeritò subtrahi Fuldensibus olim Trithemius publicè questus est, magnitudine & præcellentis ingenij gloriâ, hinc ad Hirsfeldiam vicinam euocatus; vbi virtutis & pietatis cum doctrinâ exuberantis opinione ad sapientiæ fastigium euectus, lucubrationum ingenti mole consurgens altiùs, cum Scripturæ propè vniuersæ arcana commentariis ambiret, ad Halberstadiensis ecclesiæ gubernacula venit, quæ annis XIV. summâ integritatis & sanctimonix famâ, feliciter tertius in Episcoporum ordine tractavit. Quin & Hrabanus eum honorificè compellans, æqualem suum libenter agnoscit. Ceterùm, etsi constanter Trithemius passim, Haimonem hunc Abbatem Hersfeldiæ fuisse vult, eum tamen nec Lambertus hoc tempore recipit, nec probat historia publica; siquidem ab anno DCCCXL. vsque ad DCCCXLVI. Brunonem sedisse testatur; quâ tamen annorum intercapedine Haimo factus Episcopus. Rectiùs igitur noster Francofaxonicus: *Anno Domini DCCCXL. Heimo Hersfeldensis ecclesiæ monachus, tertius Episcopus Halberstaden. à Luduico filio Pij Luduici mittitur: & anno XIII. suæ ordinationis VI. Kalend. Aprilis obiit, & Halberst. ad. sepelitur, in cuius locum Huldigrin Episcopus est ordinatus.*

* VSVARDVS verò, Flori exemplo iussuq. Magni Caroli diffusius explicatis Martyrum agonibus, aliorumque Sanctorum actis, succinctè per Ephemerides antea enarratis, famosissimi nomen operis ad sui commendationem, ecclesiæ legendum tradidit. Neque huic impar

* TRECVLPHVS ex Fuldensi disciplinâ, selectissimi ingenij & eruditæ memoriæ laudem consecutus; cui & Hrabanus lucubrat

cubrtati in Genesin operis honorem, in inscriptione suâ detulit, & ipse Freculphus Lexouiensem ecclesiam, in Lugdunensi secundâ, iam Rhotomagensi prouinciâ, regionis Nortmanniæ, adeptus, à mundi incunabilis exordio factò, rerum omnium origines & euentus, per sacræ profanæque historiæ sinus, vsque ad Christi Domini natalem, haud sine quæstionum subtilitate posterorum memoriæ subiecit.

*Freculphus
Lexouienfis
Episcopus.*

De HRABANO quid memorem? qui à pueris Fuldæ vbi natus & enutritus, atque inde in Galliis apud Turones quoque disciplinarum causâ vixit; & nullius omnino liberali homine dignæ facultatis aut artis expertus, ferè nemini concessam hæc ætate excellentissimæ doctrinæ palmam, obtinuit: immenso quippe captu, vastoque librorum complexu, docendo, dictando, scribendoque diuinos apices totis dispersos Bibliorum membris rimatus, portentosi ac secundissimi ingenij merito, nescias utrum illi plus decoris librorum conscriptorum auctoritas, quam profundæ & inexhaustæ mentis admirabilitas adiecerit. Vnde cum publico Fuldæ docendi fungens munere, explicaret itidem immensi ingenij sui diuitias, facilè vicinorum non solum, sed & remotiorum, in tanto gymnasij splendore, ad se studia atque ora conuertit; vt concursus etiam audiendi causâ ad eum ex totâ Germaniâ Galliaque fierent. Tradidère proinde meritò ipsius pectori sapientiæ diuinæ ac virtutis refertissimo, ornamenta sua pariter & gubernacula, primùm Fuldenfis congregatio, atque deinde ecclesia Maguntiacensis; quod vtrumque munus Abbas & Archiepiscopus, immortali nominis sui gloriâ præclarè sustentauit.

*Hrabanus
magister
quantus.
Ex Honorij
Sigeberti ill.
viris c. 90.
MS. & Tri-
them.*

Porrò LINTBERTVM etiam Albini Hrabanique discipulum, duæ res memorabilem effecerunt; quòd nobili Hirsaugiensi apud Nemetes Abbatia primus Abbas, sacræ eruditionis & probitatis auctoramento, initia dedit; quodque pulcherrimas benè viuendi artes illas, quas nobilis puer è Sueuiâ ortus, Fuldæ imbiberat, non infelice virtutis gloriæque prouentu, in Hirsaugiense monasterium intulit. Etenim anno duodeuigesimo monasticæ initiatus, Baugolfo Abbate, qui S. Sturmioni successerat, per incrementa ætatis Aegilis & Rhabani disciplina sic se erexit, vt Hirsaugiæ degentis famâ sanctitatis & eruditionis

*Lintbertus
Hirsaugia
Abbas & in-
choator. al.
Luitbertus.
Chron. Hir-
saug. ad an.
838.*

proveri
antiquitate
adens.

STV

9

Fama virtutis ac sapientie innumeros alliecit ad religionem.

tionis per omnem circa regionem se diffundente, multi generosæ stirpis viri liberos suos in ipsius disciplinam traderent; alij quoque non obscuro apud suos, fortunis mundoque valere iussis, Christi & Lintberti sese obsequio consecrarent. Ad Hirsaugiam venisse eum perhibent, regibus carum, ac magnatibus verendum, anno atatis LX. conversionis XLII. Abbatis munus gessisse annis sedecim.

CAPVT XIV.

*Continuatio illustrium virorum secundæ
& tertiæ classis.*

ORBITAM, sed breuem Flacciani solis, quam curriculo suo descripsit, absoluiimus. Albino Flacco, quod litteris valde compertum sit, haud clarior inuenitur notiorque, qui successerit, doctrinarum magister, quam Magnentius Maurus Hrabanus, cuius è scholâ, vt innumeros præteream alios, summa hæc neque interituræ laudis ingenia prodire, Walafridus Strabus, Lupus, Otrifridus, Werenbertus & Helpericus, ambo monasterij S. Galli aurea quædam sidera, Hartmundus, Probus, Rudolphus, Candidus, Mago, Modestus, qui ab ortu litterariæ Fuldenfis palæstræ secundam velut eruditorum & sapientissimorum virorum classem efficiunt.

Secunda classis Hrabani discipulos exponit. Catalog. illust. vir. & lib. 2. de illust. Ordin. S. Bened. c. 41

Walafridus Strabo, seu vulgò Strabus. Auctor vel inceptor Glossæ ordinariæ. Strabus vnus idemq; cum Walafrido. Adi Cansij præfat. Tom. 6. antiq. Lect. Sigebert. c. 71. Surium in Octob. in S. Galli vitâ. Præfat. ad Thegani opusc. Annal. Franc. Pithæanis Fuld.

STRABVS, vt Trithemij verbis vtatur, *monachus Fuldenfis, natione Teutonicus, Hrabani scriba, discipulus & notarius; vir certè ipse vndequaque doctissimus, qui diuinarum Scripturarum optimè sensa norat, bono explanante magistro, litteris & diuinis & humanis ad plenum instructus, Theologus, Philosophus & Poëta celeberrimus, ingenio iuxta linguæque facundia promptus.* Non villo scriptionis genere lætior in posterorum memoriâ victurus, quàm ingentis operæ ex veterum monumentis publicatæ Glossæ syntagmate, quam ordinariam vocamus; cuius ipse fundamenta iecit. Sed varium hîc Trithemij errorem caueamus oportet, cum Walafridum Strabonem passim à Strabo diuidit, & velut ætate dispertem, illum S. Galli, hunc Fuldensem monachum, quemque seorsim laudat. Walafridus enim vnus idemque ex monasterij S. Galli